



& laterum, è quibus etiam  $BD$  relinquetur æquale ipsi  $EF$ , &  $GH$  ipsi  $KL$ , quibus sunt  $B$  &  $F$  anguli æquales, ac reliqui  $ADB$  &  $FEC$  æquales. Quòd si pro lateribus  $AD$  &  $EC$  assumantur bases  $BD$  &  $EF$  æquales, æqualibus angulis obiecti, residentibus cæteris eodem modo demonstrabuntur, quoniam per angulos  $G$   $A$   $N$  &  $M$   $C$   $L$  æquales exteriores, &  $G$   $C$  rectos, atq;  $A$   $G$  ipsi  $C$   $L$ , habebimus itidem bina triangula  $A$   $G$   $N$  &  $M$   $C$   $L$ , quæ prius, æqualium inuicem angulorum & laterum: Illa quoq; particu-



laría  $D$   $N$   $H$  &  $M$   $E$   $K$  similiter propter  $H$  &  $K$  angulos rectos, &  $D$   $N$   $H$ ,  $K$   $M$   $E$  æquales, atq;  $D$   $H$  &  $E$   $K$  latera æqualia, quæ reliqua sunt quadrantium, è quibus eadem sequuntur, quæ diximus.

IX.

**I**sofcelium in Sphæra triangulorum, qui ad basim anguli, sunt sibi inuicem æquales. Estò triangulum  $A$   $B$   $C$ , cuius duo latera  $A$   $B$  &  $A$   $C$  sint æqualia. Ab  $A$  uertice descendat maximus orbis, qui secet basim ad angulos rectos, hoc est per polos, sitq;  $A$   $D$ . Cum igitur binorum triangulorum  $A$   $B$   $D$  &  $A$   $D$   $C$  latus  $B$   $A$  est æquale lateri  $A$   $C$ , &  $A$   $D$  utriq; commune, & anguli, qui circa  $D$  recti, patet per præcedentem demonstrationē, quòd anguli qui sub  $A$   $B$   $C$  &  $A$   $C$   $B$  sunt æquales, quod erat demonstrandū. Porisma hinc sequitur, quòd quæ per uerticem trianguli Isofcelis circumferētia ad angulos rectos cadit in basim, basim simul & angulum æqualibus compræhensum lateribus, bifariam secabit, & è conuerso, quod constat per hanc præcedentem demonstrationem.



X.

**B**ina quælibet triangula in eadem Sphæra, æqualia latera habentia, alterum alteri, æquales etiam angulos habebunt alterum alteri sigillatim. Quoniam enim trina utrobicq; maximorum circulorum segmenta, pyramides constituunt fastigia habentes in centro sphærae, bases autem triangula, quæ sub rectis lineis circumferētiis triangulorum conuexorum subtendentibus plana continentur, suntq; illæ pyramides similes & æquales